

17. *Creditor deteriorationem rei pignoratæ quæ absq; culpâ contigit non præstat.*
18. *Dotes constitui ex usu est Reipublicæ.*
19. *Dos ob inopiam repetita reddenda ditiori reddito.*
20. *Dos in diem certum promissa et si uxor ante diem moriatur, nõ minùs legibus patriis aut jure municipali acquiratur Marito.*
21. *Non omne nominum periculum est tutoris, nec si ipse contraxit, nec suspicione is vacat si fœnerationem (justam intellige ac legitimam) prætermiserit.*
22. *Negotiorum gestor levis. culpam præstat.*
23. *Funeris causâ dote potior est.*
24. *Benignius & equalitati propius rem sorti committere quàm si major fratrum dividat, minor eligat.*
25. *Etsi per 30. pluresve annos quidam in communionem manserint, ad divisionem tamen præscript. non obstante rectè provocant.*
26. *Precarium est etiam rerum mobilium.*
27. *Possessor à quo hereditas evincitur ad inventarij pariter exhibitionem & jusjurandum non adigendus.*
28. *Prior investitus potior eo cui posterius res tradita.*

## Parergon.

Tribonianus benè de jure Civili meritis,  
neq; interpolando JCtorum veterum responsa peccavit.

F I N I S.